

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

CCX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

CCX.

DECRETUM CAPITULI S. PETRI BASILIENSIS DE
TRIBUS ECCLESIIS KILCHEIM, EIMUOTINGIN ET
MATRA MENSÆ CAPITULARI
CONJUNGENDIS.

A N N O M C C C X I I.

Ex Tabulario collegiatae S. Petri Basiliensis.

B. Vicedominus, Prepositus, Johannes, Decanus, Johannes Cantor, Johannes Scolaſticus totumque Capitulum Eccleſie St. Petri Baſilienſis univerſis, quos noſſe fuerit opportunum, ſalutem & notitiam ſubſcriptorum. Cum jura Patronatus Eccleſiarum in Kilchein in Eimuotingen & in Matra Conſtantienſis Dioceſis, ad noſtram dinofcantur Eccleſiam pertinere. Nos diligenti conſiderationis oculo perpendimus, quod quamcunque & quotieſcunque unam ſeu plures de prefatis eccleſiis vacare contingit, propter importunas Dominorum inſtantias tam in Capitulo quam extra Capitulum exiſtentium nihil omnino de noſtra ſalute ſeu fructu ordinare valemus, ſed ut frequenter in prejudicium animarum noſtrarum ad prefatas eccleſias cogimur perſonas minus ydoneas preſentare. Attendentes inſuper, quod prebende noſtre ultra quam credi poſſit tenues ſint & exiles. Quare indiſto ad hoc per nos Prepoſitum & Decanum capitulum feria quinta poſt purificationem beate Virginis, diverſisque inter nos ſuper diſto negotio habitis tractatibus de ſa-

pientum & bonorum consilio tam extra Capitulum quam in Capitulo unanimiter & de communi singulorum & omnium voluntate inter nos convenimus, quod omnes nos & singuli ad hoc bona fide sine dolo & fraude, quantum possimus, laboremus, ut prefate Ecclesie nostre Capituli deserviant & redditus earundem ecclesiarum nostre ecclesie per superiores, qui hoc concedere possunt seu facere uniantur, & ad hoc nos omnes & singuli & quilibet pro se per fidem prestitam nomine iuramenti adstrinximus & astringimus in hiis scriptis & promissimus firmiter, remotis dolo & fraude quibuslibet, nec per nos, nec per personas interpositas verbo vel ope consilio vel auxilio publice vel occulte impedimentum prestare seu procurare contra executionem negotii prelibati vel impedimentum prestare valentibus aliquo modo consentire. Promittimus quoque sustinere, contribuere & facere expensas necessarias ad consumationem negotii sepedicti. In cuius rei testimonium presentem litteram sigillo nostri capituli fecimus communiri. Datum anno Domini MCCCXII. loco & die predictis.